

ad castra Gallorum obliquo monte tendere videbantur. Quod quum Galli ex improviso vidissent, metu ne excluderentur, omissa pugna cursuque effuso ad castra ferebantur, a quibus quum impedirentur, ad montes sylvasque vertunt fugam atque ceduntur.

Sed prudenter in hisce stratagemmatibus providendum est sapienti imperatori, ne focus iste hosti patefieri queat, ut ipse observet et suis patefaciat antequam terror aliquis inde oriatur. Semiramis olim adversus Indiae regem pugnatura, camelis strata quaedam imposuit, quibus camelis, quum elephantorum numerum auctum ille crederet, subito terrore afficeretur. Sed quum rex vani huius apparatus certior fieret, non modo hic prodesse Semiramidi ullo modo potuit, sed vehementer nocuit.

Fidenates quoque, quum a Mamerco dictatore oppugnarentur, interea, dum acerime pugnatur, ex urbe derepente emiserunt magnum numerum peditum, qui in hostes igneas faces praeferrunt, ut Romani novae rei spectaculo ternerentur. Sed in omnibus hisce apparatibus observandum est, ut sicut illi, qui terroris veri quipiam continent, hosti patefieri possunt; ita si qui plane facti vanique fuerint celari omnino debent, ne innotescant, aut plane omitti. Aequa causa fuit, ut Sulpicius agasones suos procul a pugna collocare voluerit, et quum signum iis daret, non accedere ad praelium, sed obliquo itinere ad castra hostium tendere, ne id hosti patefactum efficeret, ut suo fine frustraretur. Quemadmodum Semiramidi accidit atque Fidenatis, quorum apparatus non modo inutilis, sed perniciosus quoque fuit.

CIVIS SENTENTIA DISCORS

Ubique et semper laudandae leges patrum
Nocere seu videntur nobis seu avert.
Acres dum civis urbis ut curas levet
Excurrit rus umbraeque longius cadunt,
Amoena portae villae forte obambulat:
Frendet canis iam dentibus, praeceps ruit

Cancellos nitus ianuae ore rumpere.
Tunc laetabundus: « Io clatra » asserit vagus
« Canis quae saevis me servasti morsibus ».
Mox praetereuntis occupat mentem stupor,
Saepius quod illi ostentat miranda hortulus:
Pomis onerant arbores hic mitibus,
Ornantur rami hic florum honore roscido.
Tunc minitabundus: « Heu! Clatra, ite perdi-
tum »,
Vagus fremit, dum respicit repagula.

M. GINOTTA.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Ius collyricum.
Gadus morrhua elixus fungis oleo cibario imbutis conspersus.
Lycopersica esculenta ovorum cremo farta.
Gallus indicus assus cum acetariis.
Latex mali persici gelu concretus.

Iocosa

TUCCIUS, quum in via cecidisset, ad nosocomium ductus est. Interrogat medicus:

— Cecidisti?
— Utique, magnum dolorem casu reportans.
— Ubinam? An prope femur?
— Minime quidem; prope ferriviam.

TUCCIUS gladiatorio spectaculo, adstans:
— Hunc vocant ludum, cuius participes tam rabidi flunt, ut capistro muniendi sint!

Aenigmata

I

Sum teneris digitis firmi tutaminis instar.
Mutabis frontem? Virus in ore meo est.

II

Latronis nomen duplia (timor omnis abesto!):
Aethera iam paleas pervoltare vides.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) *Aries*; 2) *Mel, Fel.*

IMPRIMATUR:

Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.


Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MANUALE
DI
ALMA ROMA
BIBLIOTECA
INVENTARIO AL N°
ISTITUTO
VIDI ROMANI
D. INVENTARIO AL N°



Ann. XXVI

Romae, mense Augusto et Septembri MCMXXXIX

Fasc. VIII-IX

MONITA

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud
ephebea facile agendis:

FRIDIANUS FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMÆ collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 650 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1300, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMÆ** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

HISTORICAE NOTAE¹

De priscorum Romanorum senatu

Alterum civitatis elementum fuit, uti diximus, Senatus. Senatus membra *Seniores, Senatores, Patres* appellantur: centum origine fuisse feruntur; deinde, post Sabinorum immigrations, biscentum; postremo, post immigrationem Lucerum, trecenti; quae tamen traditio valde incerta est.

Patres, Senatores illi ipsi videntur esse qui singularum gentium, ex quibus civitas, sunt patres; id multis arguitur ad nicilis; nam nomen ipsum (Patres) non nisi domini est, et ad gentes refertur; et quum novae gentes civitati aggregantur, tum Patrum numerus augetur numero novarum gentium, et habentur *Patres maiorum* — (id est antiquiorum) — *gentium ei Patres minorum gentium*; atque quum Albanis civitas concessa est atque Sabina gens Claudia in civitatem cooptatur, principes Albarum et princeps, seu pater, seu *attia* Claudio sunt «lecti in Patres». Adde quod in republica Senatores in dandis suffragiis hunc servent ordinem, ut prius Patres maiorum gentium dent suffragium, se-

quantur dein patres minorum; quod Senatores creari non possint origine nisi patrici, illi nempe patres aut gentis aut familiae, quae primitivam gentem, civitatem constituerunt; quod purpurea vestis Patrum Senatorum eadem esset fere ac regis. Ceterum omnibus in nationibus quae e pluribus minoris gradus societatibus concretae sint, harum singularum capita, vel patres, consilium eius efformant, quod societati praest. At haec origine; nam progressu temporis quos vult senatores rex eligit.

Tria haec veluti sibi peculiaria munera Senatus habet: *interregnum, consilium, auctoritas*; quorum munerum primum et alterum referuntur ad primum constitutio- nis elementum sive designandum, sive adiuvandum, postremum ad tertium.

Interregno locus est quum rex deficiat aut morte, aut alia causa: tunc, uti diximus, «auspicia redeunt ad Patres», e quibus unus creatur «interrex», qui creet alterum interregem, quique demum creet e Patribus regem. Quum omnes Patres hac ratione in radice regium imperium participare videantur, ideo vestem regiae similem senatores habent cum limbo purpureo.

Consilium praestant regi, qui plurimum Patribus, origine saltem, concedit: licet non teneatur eorum sequi consilium, mo-

¹ Cfr. fasc. sup.

rem tamen tenetur exquirere in gravioribus rebus.

Auctoritatem senatus praestat populo; populus enim comitiis regi interroganti respondet, « iubet »; sed populi iussa vim legis non nanciscuntur nisi Patrum auctoritate firmata sint.

De populo et comitiis

Tertium denique civitatis elementum est populus, seu civium universitas, qui aetatem militarem attigerit. Sunt autem cives ii tantum liberi homines qui e familiis sint, e quibus prima coaluit civitas, quique « gentiles » appellantur; recte igitur dictum quoque est populum esse « universitatem gentilium aetate militari ». Populus non sunt clientes, eoque minus servi; item nec exteri illi qui ad ripam Tiberis appellere coeperunt atque ad Aventinum consistere, commercii aut operarum causa; pauci enim sunt; pro nihilo habentur.

Itaque iam origine populus romanus in tres nucleos distributus invenitur, quae a traditione « tribus Romuleae » appellatae sunt: Ramnensium, Tatentium, Lucerum.

Populum praeterea invenimus in partes divisum, quae *Curiae* nuncupatae sunt, cuius nominis origo admodum incerta est; referenda tamen videtur ad « curam », regimen, administrationem. Singulae tribus denas curias habent, ut omnes simul sint triginta; huius autem distributionis ratio tum ad civiles res, tum etiam ad sacra refertur; origine enim utramque distinguere, seiungere haud facile potueris: singulis curiis praest *Curio*; omnibus simul *Curio maximus*; singulis sunt sua « curionia sacra », « aes curionum », etc. Et licet curia e gentibus atque ex familiis constituantur, non constat eam dividi in decem, certumve aut gentium aut familiarum numerum.

Populus ad publica negotia agenda coadunatur, convocatus a rege aut sollemniter, aut sine sollemnibus; sollemniter coaduna-

tur ad *Comitia* (Cum-ire), ad decernendum de certa re; sine sollemnibus convenit ad *Contionem* (conventionem) ut a rege de certa re certior fiat.

Cives comitiis coadunatis appellantur *Quirites*, nomine ducto aut ab oppido Sabinorum « Curo », aut ab hasta, quae Sabinorum erat armorum genus dicebaturque *quires*, aut demum, ac fortasse verius, a Curia ipsa.

Comitia huiusmodi, a Curia, *Curiata* vocantur, eaque vetustissima sunt: convocabantur a rege, ac, teste Aulo Gellio,² « per lictorem curiatum calabantur », id est convocabantur, a graeca voce *καλέω* = voco, convoco.

Locum quod attinet, Comitia curiata habentur in urbe, intra pomerium, in loco prope forum, qui dictus est *comitium*; interdui tantum habentur; solis enim occasus terminus erat publicis agendis negotiis. Rex, qui convocat unusque praest, populum sollemniter interrogat: « Veltis iubeatis, Quirites... », et rem exponit, de qua « rogat ». Populus « iubet », id est magistratui interroganti respondet ore tenuis suffragia ferens aut affirmativa (Uti rogas), aut negativa (Antiqua probo); feruntur autem suffragia in singulis curiis viritim, ut efformetur « unum suffragium » singularum curiarum; postea singula omnium curiarum suffragia colliguntur; quae quum triginta sint, fieri potest suffragiorum hinc inde adaequatio; quod ostendit tribuum et curiarum divisionem non fuisse de industria inductam ad ferenda suffragia. Collectis suffragiis Rex « renuntiat » populo quid pro suffragiorum maiore numero delibera- tum fuerit.

Quibus de rebus in comitiis populus interrogaretur quaeri potest: formulas suffragii dandi si consideraverimus, liquido patet rogationem fieri debere quoties agetur de publico iure, seu de constitutione innovanda; ex. gr. de « adrogatione », qua

² Noct. Act., XV, 27.

pater familias fit filius familiae, alienamque cum sua familiam ingredetur; de « cooptatione », qua quis externus gentem ingreditur, fitque civis romanus; de testamento « calatis comitiis » faciendo, quo patria potestas mortis causa in alium transfertur; de « capite civis » (sed id admodum controvertitur); de novo rege agnoscendo; novus enim rex magistratum init comitiis curiatis, rogans « legem curiatam de imperio », qua populus eidem spondet obsequium et oboedientiam.

Germina hic habes, quamvis exigua, potestatis illius qua priscus romanus populus magis magisque esset valiturus in magistratibus eligendis, in legibus ferendis, in iudiciis decernendis. Quae autem de constitutione per Servium Tullium innovata feruntur, ad Rempublicam esse defenda hodie nemo dubitat; itaque de iis suo loco in posterum dicemus.

S. ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De Coniugatione media

a) Ad coniugationem medium pertinent verba deponentia, et ea verba passiva quibus inest sensus reflexus.

EXEMPLA: Interdui *miscentur* tristia laetus (Ov.) — Iterum ambulo, *exerceor*, *lavor* (Pl.) — Quanto in periculo et castra et legiones et imperator *versaretur*, hostes cognoverant (CAES.) — Multi indigni luce sunt et tamen dies *erit* (SEN.) — Dixit bellum se cum iis, ni *dederentur*, gesturum (TIT. LIV.) — Auxerat militum curas praematura hiems, imbris continua adeoque saevis, ut non egredi tentoria, *congregari* inter se, vix tutari signa possent (TAC.) — De palmite gema

¹ Cfr. fasc. sup.

movetur (Ov.) — Interdui matronae romanae festis diebus *moveri* iubebantur — (Bocchus) statim *avertitur* (SALL.) — *Solvitur* acris hiems (HOR.) — *Implentur* fosae (VERG.) — Bonus segnior *fit*, ubi neglegas (SALL.) — *Memoria minuitur*, nisi eam exerceas (CIC.) — Est operae pretium diligentiam maiorum *recordari* (CIC., In Rull., 227) — Stellae tum *occultantur*, tum rursus *operiuntur*, tum celerius *moventur*, tum tardius, tum omnino ne *moventur* quidem (CIC., Nat. deor., II, 20, 51) — Panico vetere atque hordeo corrupto *alebantur* (CAES., Bel. gall., II, 21, 1) — Miserum est nihil proficien tem *angi* (CIC.).

b) Quum actionem agentis in seipsum emittere volunt, utuntur coniugatione activa cum personalibus.

EXEMPLA: Multi tranquillitatem expertentes a negotiis publicis *se removerunt* et ad otium perfugerunt (CIC.) — Dilabuntur in oppida, moenibus *se defensuri* (TIT. LIV.) — Athletas *se exercentes* in curriculo vidi (CIC.) — Ambiani *se suaque omnia sine mora dediderunt* (CAES.) — Se in unum locum ad curiam *congregaverunt* (CIC.) — Omnis *se multitudine effudit* (CAES., Bel. civ., II, 7, 3) — Ne *commovere te possis* (CIC.) — *Se interimere* (CIC., Fin., II, 20, 66) — Bis vincit qui *se vincit* in victoria (PUB. SYR.) — Hic se Philippum regiaeque stirpis *ferebat* (VELL. PAT.) — *Confirmant* ipsi se (CIC.) — Pompeius, nostri amore ipse *se afflixit* (CIC.) — Codrus *se in medios immisit* hostes veste familiari, ne posset agnosc i (CIC.) — Miseros illudi nolunt, nisi si se forte *iactant* (CIC.) — Vitis, ut *se erigat*, claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur (CIC.) — Caesar, priusquam *se hostes ex terrore ac fuga recipieren*, in fines Suessionum exercitum duxit (CAES., Bel. gal., II, 12) — Omnis amor tuus *se ostendit* in his litteris, quas a te proxime accepi (CIC., Fam., V, 15)

— Ut patriam periculo imminentem liberatam vidit, armatus se in Tiberim misit (VAL. MAX., III, 2, 1).

De quibusdam coniunctionibus « coordanibus ».

a) « Atque », « ac » inducere possunt gradationem.

EXEMPLA: Eumenes Antigono est deditus. *Atque* hunc Antigonum, quum ei fuisset infestissimus, conservasset, si per suos esset licitum (CORN. NEP., *Eum.*, 10) — Quum de imperio certamen esset cum rege generoso *ac potente*, perfuga ab eo venit in castra Fabricii (CIC., *Off.*, III, 22) — Nullus est labor, quem non longinquitas temporis minuat *ac molliat* (CIC.) — Iamque dies consumptus erat, quum tamen barbari nihil remittere *atque* acrius instare (SALL.) — Epaminondas, quum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam *atque* ipse gravi vulnere examinari se videret, quaesivit salvusne esset clipeus (CIC.) — Ne quid temere *ac fortuito*, inconsiderate, negligenterque agamus (CIC.) — Pausanias, quum, Byzantio expugnato, cepisset complures Persarum nobiles, *atque* in his non nullos regis propinquos, hos clam Xerxi remisit (CORN. NEP.) — Silentium vastum in urbe, nec arma nec viros in turribus *ac muris* vident (TIT. LIV.) — Consuli referunt excessum urbe: solitudine haud dubia id perspicuum esse, et recentibus vestigiis fugae, *ac strage* rerum in trepidatione nocturna relictarum passim — Incredibile me desiderium tenet meorum, *atque* in primis tuū (CIC.) — Non cristae vulnera faciunt, et per picta *atque* aurata scuta pila transeunt (TIT. LIV.) — Ex totis ripis in unum *atque* angustum locum tela jaciebantur (CAES.) — Nox *atque* praeda hostes remorata sunt (SALL.) — Ego quod facio, iudices, salutis omnium causa facere clamo *atque* testor (CIC.).

b) « *Etiam* » aliquid gravius addit, « *quoque* » rem fere aequalem.

EXEMPLA: Quis neget eximiam *quoque* gloriam saepius fortunae quam virtutis esse beneficium? (QUINT. CURT.) — *Etiam* quum me supremus adederit ignis, vivam parsque mei multa superstes erit (OV.) — Addo quod puer domi ea sola discere potest quae ipsi praecipientur; in schola, *etiam* quae aliis (QUINT.) — Quum tantis esset opibus, ut *etiam* invitatis imperare posset, tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtineret, maluit Timoleon se diligi quam metui (CORN. NEP.) — Turpione Ambivio magis delectatur qui in prima cavea spectat, delectatur tamen *etiam* qui in ultima (CIC.) — Non universo generi hominum, sed *etiam* singulis a diis immortalibus consuli et provideri solet (CIC., *Nat. deor.*, II, 66) — Ita vive, ut nihil tibi committas, nisi quod committere *etiam* inimico tuo possis (SEN.) — In Theophrasto tam est loquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen *quoque* traxisse, dicatur (QUINT., X, 1) — Haud scio an, pietate adversus deos sublata, fides *etiam* et societas generis humani et una excellentissima virtus iustitia tollatur (CIC.) — Hirritius iam in Tusculano est, mihique ut absim vehementer auctor est, et illud quidem, periculi causa quod sibi *etiam* fuisse dicit (CIC., *Att.*, XV, 5) — Si ad luxuriatam *etiam* libidinum intemperantia accessit, duplex malum est (CIC.) — Punicum exercitum super morbum *etiam* fames affecit (TIT. LIV.) — Ut in corporibus magna dissimilitudines sunt, sic in animis existunt *etiam* maiores varietates (CIC.) — Zenoni licuit, quum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum *quoque* ei rei nomen imponere (CIC.) — Atheniensium sapientissimus Solon leges quibus hodie *quoque* utuntur scripsit (CIC.) — *Etiam* oblivious qui sis, interdum expedit (PUB.

SYR.) — Magni iudicii, summae *etiam* facultatis esse debet orator (CIC.).

c) Coniunctio « *aut* » diversa disiungit et saepe contraria separat et excludit.

EXEMPLA: De hominum genere *aut* omnino animalium loquor (CIC.) — Haec quidem ego *aut* omnino falsa aut certe minora opinione esse confido (CAES.) — Eum inquirimus, qui populum *aut* inflammare in improbos *aut* incitatum in bonos mitigare possit (CIC.) — Opprimi me onere officii malo quam id quod mihi cum fide semel impositum est *aut* propter perfidiam abiicere *aut* propter infirmitatem animi depolare (CIC.) — Hesiodus eadem mensura reddere iubet qua acceperis, *aut* etiam cumulatione, si possis (CIC.) — Veretur quidquam *aut* facere *aut* loqui, quod parum virile videatur (CIC.) — Improbi *aut* afficiuntur poena *aut* semper sunt in metu ne afficiantur aliquando (CIC.) — Eram in magna spe fore ut in Italia possemus *aut* concordiam constituere *aut* rempublicam summa cum dignitate defendere (CIC.) — Augustus dominum se appellari ne a liberis quidem *aut* nepotibus suis passus est (SUET.) — Germania, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen *aut* silvis horrida *aut* paludibus foeda est (TAC.) — Quid recipis mandatum, si *aut* negleccitur ad tuum commodum conversurus es? (CIC.) — Hortensius nullum patiebatur esse diem quin *aut* in foro diceret, *aut* meditaretur extra forum (CIC.) — Considera quid amicus tuus fecerit *aut* quid dixerit (CIC.) — Defensionum laboribus senatorisque muneribus *aut* omnino *aut* magna ex parte sum aliquando liberatus (CIC.) — Nec per occupatam armis punicis Italianum facile erat *aut* nuntium *aut* litteras mitti (TIT. LIV.) — Haec res non ad nutum *aut* ad voluntatem eius facta est (CAES.) — Omnia quaecumque in hominum disceptationem cadere possunt bene sunt oratori dicenda, *aut* eloquentiae nomen relinquendum est (CIC.) — *Aut* prod-

esse volunt *aut* delectare poëtae (HOR.) — *Aut* vivet cras Hemarchus *aut* non vivet (CIC.) — Nunquamne quiescat civitas nostra a suppliciis, *aut* Patrum in plebem Romanam, *aut* plebis in Patres? (TIT. LIV.) — Nunquam per eos dies *aut* senator quisquam a curia abcessit, *aut* populus e foro (TIT. LIV., XXVII, 50) — Cogitandum est tibi Romae et domi tuae an Mytilenis *aut* Rhodi malis vivere (CIC.) — Non eodem semper loco sol oritur *aut* occidit (SEN.) — Aves eventus significant *aut* adversos *aut* prosperos (CIC.).

d) Coniunctio « *vel* » disiungit, corrigit, aut etiam auget.

EXEMPLA: Ego me Phidiam esse mallem, quam *vel* optimum fabrum tignarium (CIC.) — Pauci honore et gloria amplificati *vel* corrumpere mores civitatis *vel* corrigere possunt (CIC.) — Per me *vel* stertas licet (CIC.) — Peto a te, *vel*, si patieris, oro ut homines miseros conserves incolumes (CIC.) — Hortos istos emamus *vel* magno, si parvo non possumus (CIC.) — Incidi in ipsam flammarum civilis discordiae *vel* potius belli (CIC., *Fam.*, XVI, 11) — Sic tecum agam ut *vel* respondendi *vel* interpellandi tibi potestatem faciam, *vel* etiam, si quid voles, interrogandi (CIC., *Rosc.*, 27) — Saturninus in historia multum satisfaciet *vel* brevitate, *vel* luce, *vel* suavitate, *vel* splendore etiam et sublimitate narrandi (PI., 1, 16) — Cives querebantur consules bellicosos esse creatos, qui *vel* in pace tranquilla bellum excitare possent, nedum in bello respirare civitatem forent passuri (TIT. LIV.) — Malo *vel* cum timore domi esse quam sine timore Athenis tuis (CIC., *Att.*, XVI, 6) — Nihil est tam conveniens ad res *vel* secundas *vel* adversas quam amicitia (CIC.) — Eodem anno Capitolium saxo quadrato substructum est, opus *vel* in hac magnificentia urbis conspiciendum (TIT. LIV.) — *Vel* hostes lacrimis temperare non potuerunt (TIT. LIV.) — Sed de nostris rebus satis,

vel etiam nimium multa (CIC.) — Domos nostras et patriam ipsam *vel* diripiendam *vel* inflammandam reliquimus. In eum locum res deducta est, ut, nisi qui deus *vel* casus aliquis subvenerit, salvi esse nequeamus (CIC.) — Auctores maximi quantum virtutis habeant, *vel* hoc ipso cognoscimus, quod imitari non possumus (QUINT.) — Sed tamen *vel* regnum malo quam liberum populum (CIC.).

(*Ad proximum numerum.*)

I. Jss.

EPISTOLARUM COMMERCIO

MARIA ANNA EFFTNER Iosepho Fornario, viro doctissimo s. pl. d.

Audere feminam haud satis lingua latina doctam in *Almae Romae* paginis vocem emittere iure miratus es. Atque ad hunc usque diem feminae vox, quantum scio, inaudita erat in Latinitatis praeconio. Neque tamen sum tam temeraria, ut aequi-parari velim cum viris doctis neque magna novaque proferam, quin immo, quae Iosephus Holzer, sponsus meus, mandavit, oboedienter exsequi et Tecum, vir doctissime, communicare in animo est. Ipse enim est scholasticis officiis adeo obstrictus, ut tempore non satis vacet. Ideo eius munus, qua possum dexteritate, supplere studui humiliter. Holzer meus tibi plane assentitus est de omnibus, quaecumque de automobilibus curribus scripsisti, sed valde doluit, quod *diga sodaliciaria* vel potius, *diga explosa*, *rheda sodaliciaria* quid esset intelligentiam tuam fugit. *Rheda sodaliciaria* est excursionis currus genus, quo animi recreandi causa ad excursions rusticanae hominum coetus utuntur, ut puta: apud vos Sodalitas « postlaboraria », apud nos coetus ille cui nomen: « Vires laetitia partae ». Est igitur *rheda sodaliciaria* nihil aliud nisi *rheda publica*; sed differentiam et usum praecipuum innuit adiectum « so-

daliciaria ». Nunc certe animo cogitare poteris, quid in rheda sodaliciaria sit intelligentium.

Praeterea Holzer meus me iussit interrogare quid essent « contracta cadavera » de quibus S. Romani, professor ille doctissimus, in suis notis praehistoricis saepius locutus est. Sponsus autem mihi carissimus ea verba *une tombe, où le mort est placé les jambes fléchies*, germ. *Hockergab* interpretatus est. Apponebant igitur illi corpora ita, ut ea in latus sinistrum reclinarent et genua usque ad mentum fere attraherent. Quibus alia corpora contraria sunt, quae in tergo posita cernuntur, extenta, sine illa genuum replicatione. Recte ne illa verba interpretatus est?

Inter vocabula porro ab Avenario et Holzerio proposita exciderunt errore quodam vocabula *Gruppenrechnung, calcule des groupes*, et *Gruppenehe, groupe-mariage*.

1º *Gruppenrechnung*: Avenarius de consertionibus, vel de congestionibus vel de acervationibus algebraicis cogitans « *calculum congregativorum* » (numerum) propositus.

2º *Gruppenehe*. Cum sponsus meus Pii XI fel. mem. pontificis maximi de matrimonio christiano litteras encyclicas legeret, subito portentum illud *Gruppenehe* (*groupe-mariage*) — de hoc genere maritalis coniunctionis in Ephemeride ethnologica et linguistica « *Anthropos* » (Nonne linguisticae substituatur *glottologia*) multa invenit — ante mentis oculos apparuit, ut nomen expostularet latinum. Hoc coniugii genere una ex parte plures viri, ex altera plures feminae in Terra Ignis, in Hottentotia, in Buscimannorum terra, in Polynesia, in Australia copulati vitae communionem inierunt. Imposuerat ipse nomen « *matrimonium commune* ». Sed cum legisset ea, quae Avenarius de calculo congregativorum scripsit, haec in suum usum vertens de « *matrimonio congregativo* »

coepit cogitare. Haec meus sponsus ad Avenarium scripsit. Respondit Avenarius, inter nostrates linguae Latinae longe per-tissimus: Hic ego non possum non exclamare: O te miraculum scientiae, qui non solum philologiae teneas principatum, sed etiam « *Anthropum* » habeas in manu! De glottologia tibi prorsus adsentior. Quae enim barbaria habet hanc inclinationem: *linguisticus*, eleganter dicuntur « *scholae glottologicae* ». Illa coniugia potius quam matrimonia ego « *gregalia* » vel « *gregaria* » vel « *promiscua* » nominem. Sane intellego qui hanc agnominacionem audiret tacite deliberaturum esse quidnam hoc sit « *gregale coniugium* ». Sed hoc non raro in aliis fit vocabulis ut non statim persicias significantiam. Gaudebam fere invenisse casu aptam vocem apud Horatium in arte poetica, versum 398 « *concupitum vagum* » (vide eiusdem versum 109 tertiae Satirae libri prioris: « *incertam* » ubi « *Venerem* » dicit). Sed haec non sunt connubia, adhuc postremo non maioris significantiae contendit hoc *Gruppenehe* vel *groupe-mariage* quam meum « *gregale coniugium* »; utrumque circumscribendum esse sic, ut dicatur: esse complurium marium cum compluribus feminis maritale coniugium, vel si patiantur docti fingi « *internubium*. Haec ad te, vir doctissime scribere iussa sum.

Tu vero cura, ut valeas, semperque maiore studio prosequere rem Latinam. Holzer meis verbis te salvare iubet.

Dat. ex vico Brebach prope Saarbrücken Id. Iul. MCMXXXVIII.

Quod femina, quae modestiae profecto causa ac praeter veritatem se haud satis latina lingua doctam declaravit, ad me disertas latinas litteras misit, non tantum miratus — (post enim flebilem obitum clarissimae illius tum soluta oratione, tum, eoque magis, poetico afflato illustris, Aloisiae Anzoletti, non adhuc contigerat) —

sed animo ita sum gratulatus, ut spes mihi affulserit illam in incoepio perstitaram, eiusque vestigia mulieres alias pressuras; quod in latinitatis bonum vertat!

Explanationem *rhedae sodaliciariae* teneo; non vero ad rem significandam novum hoc vocabulum, aut aliud aliquod, necesse esse puto. Qua enim rheda opifices societate congregati ad hoc illuc delectationis gratia spatiandum utuntur, ea communis viatorum quorumvis simul peregrinantur rheda conducticia est, cuilibet locatione concessam; neque signo aut nota aliqua a ceteris discriminatur.

Missum igitur vocabulum ipsum omnino faciamus? Ne hoc quidem credo. Sunt opifices qui in officiis procul ab urbe operam dant suam, suntque, praesertim ubi ferriviae accessus desit, rhedae ad hoc comparatae, ut eos statim horis ad labores suos portent, indeque, confecto laboris tempore, reportent quotidie. Has ad certum et unicum finem spectantes, ad statum ordinem viatorum, sodalium nempe operiorum, unice destinatas, has, inquam, *sodaliciarias* appellare non dedignerim, ita ut non invitus audiverim:

— Quota hora sodaliciaria auto-rheda opificum manipulum primum (secundum, cet.) transvehet?

— Eheu! profecta iam est sodaliciaria rheda prima: sedes ne mihi erit in secunda? Atque tamen retardationis multam non effugiam...

Et similia.

De ceteris vocabulis ad matrimonia spectantibus cedo locum peritiori in arguento viro, collegae scilicet Silvio Romani, qui proxime mentem suam in his paginis aperiet; hodie interim is clarissimum Holzer certiore vult de *contractis cadaveribus* rem acu tetigisse.

Quem pariter eiusque dilectam comptissimum uxorem vult mecum Superi fortunent in aevum!

I. F.

DANTIS ALIGHERII "INFERORUM"

CARMEN XIII¹

Nessus ad oppositas nondum pervenerat oras,
Cum nemus ingredimur tramite pene carens:
Non folia hic viridi, sed fusco tincta colore,
Non leves rami, at nexibus impliciti,
Non poma, at diro virgulta infecta veneno.
Stirpes sic densas neve habuere scabras,
Quae loca culta cavent silvestria bruta Cecinnae.
Harpyae turpēs hic posuere domum,
Quae Strophadum terras pressere relinquere
[Teucros,
Illi cum querulae damna futura canunt,
Sunt latae his alae, collumque et virginis ora,
Ungue pedes curvo, venter et amplius erat
Pennatus, tristesque ululant super arbore que-
[stus.
Et mihi dux caepit dicere: Scire decet
Quam prius ultra abeas, te gyrum adiisse se-
[cundum,
Quo tu consistas par erit usque cavum
Veneris ad sabulum, desaevit ubi acrius ignis;
Tu vero attentus mentem ibi pone, meo
Quaeque fidem auferrent sermoni, cuncta vi-
[debis.
Hic multo moerens undique questus erat,
Ast oculis nullum potui lustrare gementem,
Magno ut considerim percitus ipse metu.
Credo cum reputo me certa mente putasse
A misera querulos gente venire sonos,
Quae propter nos illa inter virgulta lateret.
Sed dux: Si ex istis stirpibus ipse seces
Ramum, percipies penitus te fallere mentem.
Tunc dextram extendens editiore rubo
Evulsi ramum: Cur me diffindere mavis?
Clamavit truncus, sanguine et inde fluens.
Cur me dilaceras? rursus clamare resumit;
Ergo tibi pietas pectore nulla manet?
Nos homines fuimus, verum nunc vimina facta,
Aequum esset dextram te mage habere piam,
Nos licet essemus serpentum in corpore vitae.
Humidus ut torris tostus ab igne gemit
Et crepitat vento, vehemens qui erumpit ab illo.
Non secus a ramo verba cruxque simul

¹ Ex ineditis humanissimi viri JOSEPHI TORALDO, quondam Felicis, domo Tropaea in Calabris, quadragesimo recurrente anno ab eius obitu.

Exibat, quem ego proieci ut formidine pressus:
Si licuisset ei noscere monstra prius
Non equidem tanto scelerasset criminis dextram,
Ad quod ego impuleram, quod nimis atque
[dolet
Dux ait: Ille meo portentum in carmine novat,
Sed modo fare illi, te rogo, tu quis eras,
Ut te compenset memorans redditurus ad auras.
Quas sibi adire licet, nomen in orbe tuum.
Et mihi tremens ait: Tuus est ita sermo suavis,
Ut reticere veter: ne, rogo, forte gravet
Si vos nunc paullum longo sermone morabor.
Ille ego qui quandam lucida clavis eram,
Qui pandi cordis Friderici, ac ostia clausi:
Rebus ab occultis quemque tenere procul
Cura fuit, tantaque fide egi nobile munus
Immeritam ut fuerim promptus adire necem.
Caesaris hospitio, a quo nunquam lumina foeda
Divertit meretrix regis in aede manens,
Mortis et est auctor, contra me pectora adussit.
Qui tanto inflammant principis igne iecur,
Ut tristem in luctum laeti vertantur honores.
Perculsa insano mente furore mea,
Credideram nece non meritam reparare rui-
[nam,
Meque reum feci criminis innocuus.
Perque novas, fateor, radices stipitis huius
Non unquam domino me violasse fidem.
Et si quis vestrum dulce est redditurus ad auras
Vos, precor, illustret nomen et ille meum,
Quod iacet obscurum invidiae iam cuspida lae-
[sum.
Constitit is paullum, hinc ut siluisse videt
Dux mihi sic loquitur: Fugiat ne tempus inane,
Quaere illum quicquid vota replere queat;
Ipse vetor, tanta haec pietas mea pectora vexat.
Carcere clauso scabro spiritus, ille tamen
Incoepit: Tibi si faciat satis ille rogatus
Munere pro tanto tu quoque fare libens:
Quomodo stipibus nunc spiritus hisce ligetur,
Atque an solvatur carcere ab arboreo,
Qui veluti in vivis illum tenet artubus arctum,
Queis trumens dictis fortiter ingemuit
Voce loquens, paucis ego respondebo petitis:
Vix ferus a se ipso corpore dividitur

Spiritus ac Minos septenum mittit in orbem,
Cum ruit in silvam non locus ullus ei
Seligitur, quocumque illum sors proicit, illic
Ut farris triticum germina quisque parit,
Induitur ramis, et crescit agrestis ut arbor,
Frondibus atque suis pabula cum capiunt
Harpyae angorem gignunt, faciuntque fenestram
Augeri: cum aliis corpora viva simul
Sumamus, nostrum sed nemo vestiet illa;
Non aequum est hominem sumere quod re-
[nuit:
Ad tristem silvam nos illa trahemus, eruntque
Hic suspensa suis corpora nostra rubis.
Dum truncu astamus nos intenta aure putantes.
Plura loqui, strepitus nos citus aggreditur,
Qualem audit venator apro veniente, ferasque
Cum canis insequitur, protinus atque duo
Vidimus exutos, lacerosque ex parte sinistra
Rumpentes ramos praecipitante pede.
Qui citior currat mortem alta voce vocabat,
Alter cui visus tardior ire pedes
Clamabat: Lano, minime ad certamina Toppi
Prompta fuere tibi crura subire necem.
Et quia forte animo ob cursum defecerat, ille
Ut servaretur cespita delituit.
Illic silva scatet canibus cupientibus escam,
Quae currunt veluti lora soluta forent,
Dentibus atque petunt latitatem cespita, cuius
Secta in frusta sibi tristia membra ferunt.
Me ductor tulit ad ramum per vulnera flentem,
Quid, Iacobe, tibi profuit, is queritur,
Defendi a me? quae ne tuo de crimine culpa
Est mihi? Cum ductor desuper ipse stetit:
Tu quis es emittens per vulnera sanguine mixta
Verba doloris? ait. Fatus et ille quoque
Nobis: O dulces animae, quae cernere aditis
Vulnus in honestum quod manus illa fera
Effudit scarpens viva mea ab arbore frondes,
Congerite, exoror, cespitis ante pedem.
Quae Martem divo mutavit terra Ioanne
Donavit cunas, quare herus ille prior
Illam continuo bellis agitat iniquis,
Et in Arni ripis eius imago foret.
Attila quae ex imis vastavit moenia, cives
Erigerent frustra. Liminis atque mei
Trabs mihi supplicium fuit, ex qua pendulas
Deseruit placidas, turbineasque subii.
[auras
Pollicitis dives quilibet esse potest.

OVIDIUS.

DE MUSICA SACRA¹

Quadraginta circiter annis post Iacobi Carissimii mortem in oratorium ulteriore evolutione explicandum perficiendumque operam tota animi corporisque contentione contulit Georgius Fridericus Händelius domo Halla Magdeburgica. Huius eximii musici opera et formae amplitudine, et qua ad drama et bellum ciente pollent virtute, et copia atque pompa musicarum venustatum, ipsius immani statura, indomito animo, exuberantibus indefessisque corporis viribus plane respondere videntur.

Atque in primis animadvertisendum putamus in Händelianis oratoriis, ipso temporis progressu, iam magis aucta ac ferme perfecta ea reperiri, quae musicam artem, sive media constituunt, quibus illa utitur ad finem sibi praestitutum assequendum, ut melos, harmonia, polyphonia, instrumentorum sapienter ordinata collectio, cantus genus quod, instantibus musices partibus, «fuga» appellatur, et cetera huiusmodi.

Nostris musica his praesertim commendatur virtutibus, videlicet summa conceptuum perspicuitate, magna efficientia et vi in suavibus, aut vehementibus animi motibus excitandis, immani, ut diximus, styli sive formae amplitudine, exquisita denique ornamentorum opulentia, pompa atque splendore.

Händeliana novem numerantur oratoria, quibus nomen: Resurrectio; Temporis et emendationis triumphus; Samson; Iosephus; Iuda Machabaeus; Iefte; Saul; Israël cogitans; Messias. Ex his princeps, omnium consensu, Messias habetur, cuius memoriam gloriamque affirmari potest nunquam futurum esse, ut debeat dies. In eo enim musico opere vis atque magnitudo aemulatione inter se contendisse videntur ad quid unum praeter modum

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Junii.

grande mirificumque efficiendum; dicam fore ut prophetae ab immortali Bonarrotio in Vaticano sacello, cui nomen a Xysto Pontifice, coloribus effecti, si quando loqui possint, canant profecto cantus *Messiae*.

Georgio Friderico Händelio tum aetate, tum acri ingenio aequalis fuit Ioannes Sebastianus Bach etiam Germanus, qui diversa, atque ille, progrediverat via, novis virtutibus nobilissimum musicae sacrae genus, de quo est sermo, auxit cumulavitque.

Re quidem vera Händeliana musica, ut diximus, copia quadam vis atque exuberanti ornamentorum pompa longe lateque, si ita loqui fas est, effunditur atque explicatur; quem Bachius id sibi unum praestitum habeat, ut audientium animos musicis concentibus penitus pervadat, illosque suaviter adigit in sese redire ad Christiana mysteria contemplanda, atque tum precibus fundendis, tum vehementissimo caeli desiderio ad se quasi socios Superis adiungendos. Händelius Israelis populum, eiusque duces, bellica facinora gloriamque musicis modis vivificanda suscepit; Bachius vero nullum alium heroa cantibus prosequendum sibi constituit, nisi Christum. Notandum denique primum musicum ad leviorem iucundioremque italicae artis rationem parumper accessisse, et pene dixerim se accommodasse, quum alter ab austerritate et gravitate Germanorum propria, ne transversum quidem unguem, discesserit.

Bachius duo scripsit oratoria, quibus titulus: *Christi nativitas et Christi passio ad mentem S. Matthaei*. Hoc oratorium totantisque virtutibus exornatur ac venustatis, ut unum mihi dignum videatur, quod cum Händelii *Messia* comparetur.

Ex ceteris multis, qui musicam sacram coluere, digni sunt qui memorentur, Iosephus Haydn, Aloisius Von Beethoven et Felix Mendelssohn, patria Germani, ac penitissima musicorum doctrina quam ma-

xime pollentes. Primus, cuius opera perspicuitate nitent et facilitate nativa atque iucunda festivitate, quatuor scripsit oratoria; ex his duo praecipue commendantur, quibus titulus *Creatio et Quatuor anni tempestates*. In *Creatione* summam sui in audiētes coniiciunt admirationem illa Biblio-rum verba: «Et facta est lux», quae ita sapienter musicis vivificata sunt numeris, ut ex ipsis lucis flumen erumpere ac promanare videatur, quod tenebras discussas plane profliget. Alter autem, scilicet Beethovenius, Germanorum Euterpes cultorum princeps habitus, instrumentis musicis novam vehementer insculpit rationem, atque modulos extollit, ut ait Vagnerius, ad excelsas quasdam formas et species, quae perpetuo omnibus imitationi erunt. Consecuta itaque, — pergit Vagnerius —, supremum perfectionis gradum, Bachii, Haydnii et Mozartii opera, musicē supergreditur, Beethoveno auctore, germanam pulchritudinis formam, ut ad altitudinem musicorum perveniat atque sublimitatem, in qua summa contineatur perfectio. Celebre existimatur eius oratorium, quod inscribitur: *Christus in oliveto*. Tertius denique eorum, quos memoravimus, id est Mendelssohnus, mellitissimis, elegantibus, exquisitisque musicis modis potissimum emituit. Duo ei debentur oatoria: *Paulus et Elias*, quibus ad Bachium atque ad Händelium accessisse visus est.

Medio vertente saeculo decimonono, oratorium nova et immortali luce refusit opera Petri Raimundi, Romani, qui omnibus suorum temporum musicis maxime antecelluit ea sonitum artis disciplina, quam italice *contrappunto* appellamus. Noster enim, cuius incredibilis et animi et corporis vis in rebus adversis asperisque mirum in modum patuit, innumera scripsit opera cum profana, tum sacra. Ex his celeberrimum habetur oratorium *Iosephus* tali arte confectum, ut unum sit idemque trinum; id est in tria inter se

distincta oratoria dividi possit, quae inscribantur: *Putiphar*; *Pharaon*; *Iacob*, quaeque seorsim diverso, aut simul eodem loco ac tempore agenda praebantur, neque tamen a sese ne minime quidem dissideant. Quot quantisque difficultatibus ad hoc perarduum opus confiendum auctor, maxima mentis acie ornatus, se expediverit, pauci, qui musicorum doctrinam penitus perspiciant, plane perfecteque intellegere valent. Id musicae sacrae inauditum portentum Urbis incolae primum auribus acceperunt anno millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo in theatro, cui italice nomen *Argentina*.

Heic, nisi spatii angeremur angustiis, incredibilis spectatorum plausus, insolito gaudio exsultantium, verbis abunde esset perseverandus, ut historicus Fetis enarrat; sed id unum satis sit referre: quum tres instrumentorum sapienter ordinatae collectiones, tres chori, triaque praecipuorum agmina cantorum (quadringtoni circiter musici in compositum) sonos ac voces harmonice mirificeque conflatas miscuerunt, ita vehementes animi motus audientibus sunt excitati, ut ab exequendo oratorio parumper desistere omnino opus fuerit.

Uninam hoc musicae artis prodigium aliquis renovandum curet! Quam bene de musica, de Italia et de excellentissimo mereretur auctore iniuria oblito! Tum in musicis bibliothecis praecipuarum Italiae urbium, tum in Romana academia, cui nomen a S. Caecilia, Raimundianum asservatur oratorium, quod quum Riccardo Wagnerio academiam invisenti oculis accipendum praebetur, haec verba praecipiarus musicus protulisse dicitur: «Quam parvi efficiunt tanto opere perspiciendo!».

De Laurentio denique Perosio, cuius opera oratorium, quinquaginta circiter annis neglectum, ad novam vitam ipsi nos excitatum vidimus, dicere supervacaneum est.

HERS. DI

LUCIANUS BONAPARTE NAPOLEONIS FRATRIS SOTER

Non semper egregiis viris, qui ingenio atque virtute ceteris praestare solent, tanta est animi mentisque fortitudo, ut nullis improvisis periculis aut rerum mutationibus perturbentur, et in maximis negotiis prudentissima consilia capere ac difficillima quaeque incepta perficere valeant. Constat, e contra, nonnunquam eos vires deficere, quasi obnubilato praecleari ingenii lumine, immoderate agere, ita ut quae moliti sint in maximum veniant discrimen, ac, nisi inopinato aliis eis subveniant, vana evadant.

Cuius rei praeclarum exemplum invenire possumus, si consideremus quae Napoleo Bonaparte in capienda republica gesserit.

Nam quum, relicto exercitu in Aegypto, anno 1799, Bonaparte in Galliam pervenisset, rem publicam quam gloria et victoriis florentem reliquerat, discordem ac perturbatam invenit. Iam ad Alpes atque ad flumen Rhenum hostes instabant, qui, secunda fortuna insolentes, sese cuncta eversuros minitabantur: civiles contentiones cotidie convalescebant neque cives diuturnis dissensionibus patriam lacerare pudebat. Omnia incerta, periculosa; ita ut optimus quisque praecleari ducis redditum expectaret eumque, qui iam hostes glriosissimo bello devicerat, pacis simul et victoriae artificem futurum speraret. Qui, Lutetiam ingressus, rerum condicione comperta, optimum factu ratus periclitanti patriae quam celerrime opem ferre simulque ambitione impulsus rei publicae principatum occupare cum Sieyès et Roger-Ducos, qui tunc supremum magistratum gerebant, in consilium ivit. Re mature perspensa, haec statuerunt: formam rei publicae immutandam atque quinque moderan-

toribus tres consules seu triumyros sufficiendos esse, quos inter principem locum Bonaparte obtineret. Omnia pro viribus ad normam legum fieri oportere. Igitur optimum videri, ut coniuratio quaedam libertatis opprimendae causa inita simularetur et Senatus rogaretur ut, ne quid detrimenti populi legati coperent, placeret coetus legibus ferendis extra civitatem convocari, Bonaparte omnibus quae in civitate essent copiis praefici, quo facilius omnium integritati consuleretur. Quae sine difficultate ut sibi suisque consulatus mandaretur, a Patribus legatisque impetratum iri censebant; quos inermes, in parvo oppido congregatos, militibus Bonaparte faventibus circumdatos, minime populus adiuvare poterat.

Igitur, constituta die (quae fuit duodevigesima mensis brumalis, quem vocabant) decrevit Senatus ut extra civitatem Patres legati que cogerentur, eo quod, patefacta nova coniuratione, maximum rei publicae periculum impenderet, et simul Bonaparte imperium in milites, qui in civitate commorarentur, tribuit, hortatus ut, his copiis, incolumitati libertatique civium provideret.

Ille in Senatum venit, Patres alloquitur: affirmat eos, hoc decreto, optime patriae saluti consuluisse; iurat se nihil contra rem publicam facturum; postulat ut fidei atque ingenuitati suae confidant. Qua oratione habita, e Senatu egreditur, milites hortatur, opportuna loca muniri iubet, aedem summorum magistratum quos minime sibi favere noverat, militibus circumdat. Itaque sensim summa rerum potitur.

Sed postero die, quum Patres atque legati Sanctum Claudium, in parvum quoddam oppidum apud Lutetiam situm, convenissent, tanta rerum et animorum facta est mutatio, ut quae antea facilia, nunc incerta et aspera apparuerint.

Nam, quum in Concilio Quingentorum (quod, ad legiferam potestatem exercen-

dam, cum Senatu, constitutum erat), factiones Bonaparte adversae praevalerent, omnes voce magna clamitabant, tyrannidis periculum instare, libertatem oppressum iri, Bonaparte hostem rei publicae iudicandum esse. Quibus Lucianus Bonaparte, Napoleonis frater, qui eo die Concilio praesidebat, cunctando frustra obstare conabatur: augebatur enim in horas clamor, quo Patres perterriti, iam animum immutare coeparent, etsi plurimi Bonaparte favebant. Qui, ab amicis cuncta edoctus, iterum Patres alloqui censuit: sed, novitate rei conturbatus, quum loquendi coram Senatu ratio minime ei comperta esset, pauca tantum et incerta verba prompsit: se a Patribus arcessitum, statim venisse ut eorum decretis pareret. Iam turpissimas criminationes in se proferri, quasi tyrrannidem occupare vellet. Si haec sibi mens fuisset, quum olim ex Italia rediisset, omnibus faventibus, rem publicam opprimere non destisset. Se modo patriae saluti et civium libertati consulere. Quum autem quidam clamasset curnam de legibus civitatis sileret, commotus substitit, denique respondit plures esse leges, quas ipsi violassent. Tandem, quum in se infensos animos conspexisset, irae indulgens: « Si quis — inquit — me hostem patriae iudicare molietur, sciat me ad milites provocaturum. Ex superis deorum conciliis, me Mars et Fortuna comitantur ». Deinde se ex curia proripuit, incertum utrum Patrum mentes suis verbis flexisset an insolentia iram concitasset.

Mox Concilium Quingentorum adit, militum manipulo comitante. Vix autem ingressum omnes ingenti strepitu hostem et parricidam vocant simulque in eum impetum faciunt aegre militibus ceterisque amicis resistantibus. Plurimos ei sicam intentasse tradunt, neque id improbabile videatur. Ipse, quasi tumultu perterritus, fere animo deficit: qui in proeliis impavidus morti pectus obiecerat, nunc pallens tre-

pidusque a suis ex adversariorum manibus eripitur. Sed quum, collecto animo, desperatas res, suam atque amicorum proximam ruinam intenderet, tantus eum furor invasit, ut vultus sibi unguibus laceraverit, ac, crux ora perfusus, speciem in se patrati criminis ostenderit, qui tamen incolumis cultros inimicorum effugisset. Quum autem tempus urgeret neque amplius verbis utendum esse arbitraretur, extemplo equum concendit, militibus apparet, clamat, sicarios ipsum interficere voluisse, quod sanguine foedatus testatur: obsecrat ut ducem suum tot victoriis praeclarum ulciscantur. Neque milites arma in populi legatos vertere audebant, neque erga imperatorem amor debitae erga rem publicam fidei praevalebat.

Interea legati alii alia animo agitare, Bonaparte hostem rei publicae appellare, queri Patres libertatem proddisse. Tandem plerisque visum est Concilio decernendum esse Bonaparte contra rem publicam fecisse; quo decreto simul reus capite damnabatur. Renitebatur Lucianus, obtestans ut, antequam tam graviter in fratrem suum animadverterent, ipsum audirent, eique sese defendendi potestatem facerent. Quum autem furorem eorum compescere non posset, exuta toga: « Quoniam — inquit — me in fratrem meum sententiam pronuntiare vultis, non iam Concilio praesidebo, sed ipse absentem defendam ». Itaque dicendo tempus extrahebat, quum Bonaparte, timens ne magnum periculum fratri impenderet, quibusdam militibus imperat, ut Lucianum ex aula deducant, qui, vix egressus, sciens perditas res esse nisi extremum auxilium subveniat, equum et ipse concendit, seseque cum fratre militibus ostendit, affirms latrones aulam occupare, qui bonos prohibeant, quominus Bonaparte imperium tribuant: se, qui Concilio praesideat, militibus imperare ut, nulla mora interposita, populi legatos e manibus perditorum hominum eriant. Manebant

tamen milites incerti, quum ille, destricto gladio, quasi fratrem minitans, iurat se eum interfectorum si quid contra libertatem moliatur. Ita, commotis tandem militum animis, cohortes incedere iubet; milites, duce Murat, aulam ingrediuntur, per portas, per fenestras legatos, armorum apparatus perterritos, eiciunt. Quibus expulsis, Bonaparte, eos qui suis inceptis favebant (quorum numerus circiter quinquaginta erat) convocat, atque imperium, ipsis adprobantibus, suscipit. Quod statim per Lucianum Patribus nunciatur, qui, sive sua sponte, sive metu perculti, rem ratam haberunt.

Tandem, tam gravi negotio feliciter perfecto, Bonaparte, iam totius Galliae dominus ac princeps, ad multam noctem Lutetiam reddit. Quo quum pervenisset et ab uxore domi exciperetur, traditum est, amico cuidam dixisse: « Nonne plurimas hodie ineptias loquutus sum? » Cui ille « Non paucas quidem » respondit.

Fructus victoriae Bonaparte, laudem vero Lucianus adeptus est. Nam quum, omnibus adversis, Napoleonem ipsum animi virtute deficiente, res desperatae viderentur, unus efficit ut legatorum consilia vana evaserint atque ita militum animos movit ut quod antea recusavissent, tandem perfecerint.

MANLIUS MAZZIOTTI.

Omnis medicina habet ad tempus amaritudinem, sed postea fructus doloris sanitatem monstratur.

S. HIERONYMUS.

Sicut nec auris escas, nec guttur verba cognoscit, ita nec stultus sapientiam sapientis intellegit.

S. GREGORIUS.

Sapiens est cui res sapiunt prout sunt.

S. BERNARDUS.

FORMICARUM VIVENDI RATIO

MICROSCOPIO PERSPECTA

*Ac veluti ingentem formicae farris acervum
Quum populant, hiemis memores, tectoque re-*

[ponunt;

*It nigrum campis agmen, praedamque per herbas
Convectant calle angusto: pars grandia trudunt
Obnixae frumenta humeris, pars agmina cogunt,
Castigantque moras; operae omnis semita fer-*

[vet. 1]

Formicae, ut ex hisce Vergilii versibus atque ex sexcentis aliis scriptorum locis elucet, maxime providae, alacres, disciplinatae, assidui patientes laboris otioque insiae omnium consensu semper habitae sunt. Sed quum hae bestiolae per exiguo sint statu, difficillimum est earum mores vivendique rationem ac modum nudis oculis accipere atque perspicere. Nostra tamen aetate mirificus formicarum instinctus plene perfecteque patuit ope instrumenti, quod crystallis minima perspicit, quodque graeco vocabulo « microscopium » appellatur.

Spectaculum admiratione maxime dignum nobis praebetur ex sollertibus istis bestiolis quum subterraneam sibi effodiunt domum, in qua architectorum doctrinam in usum deductam passim videre est. Ac primum formicarum domum insipientibus oculis quoddam patet vestibulum, ex quo fit ad vastum cubiculum ad multa alia viam sternens. Tectum pilis seu stelis innititur plerumque rotundis atque ad amussim tum magnitudine tum robore respondentibus ponderi, quod sustinent. In limine vestibuli quasi excubias indesinenter agit formica, quae ingredientibus vel exeuntibus comitibus, qui militum mos est, det salutem. Primum autem incolunt cubiculum principes quaedam formicae, quae peculiari vivendi ratione reginae habentur: laboris haec sollicitudinis plane expertes, otio tacebunt, ac cibo vescuntur ab aliis compa-

¹ VERG., Aeneid., lib. IV.

rato. Earum tantummodo est ova deponere, quae ceteris comitibus ad id designatis continuo curanda relinquunt. Ova saepe saepius circumvolvuntur atque humectantur, ut vitale foveatur germen in lucemque prodeat: quum autem ipsa fiunt larvae, quod longiore vel breviore temporis accidente spatio pro anni tempestatibus, incredibile dictu est quot quantisque curis eas nutriculae prosequantur formicae, quae a suo munere permagna cum diligentia fungendo nunquam desistunt, quum ipsis victus a quamplurimis aliis comparetur comitibus, hac illac indesinenter vagantibus ad grana, semina ac cetera id genus quaeritanda atque in foveam congerenda.

Sed aliquo post tempore larvae bombycinum, ut ita dicam, sibi extruunt folliculum, atque chrysalides evadunt, quae postea fiunt formicae.

Notandum has bestiolas, quae tam exigua sunt statura, immanni vi esse praeditas, adeo ut Italorum nummum, qui aequaliter virtute vigesimam libellae partem ore facile transferant: id idem esset, ac si homo pondus decem millium chilogrammatum dentibus extolleret.

Formicae, ut cetera animalia, varii sunt generis: praeter nigras otio indulgenti atque rixandi minime cupidas, rubrae sunt, quae, a labore alienae, vi nigris potiuntur comitibus, easque in servitatem redigunt, ita ut miserae bestiolae cibum victricibus comparare atque inservire crudeliter adigantur. Alias etiam repieres minore statu et nigerrimo infectas colore obsoitasque lanugine; hoc genus formicarum maiore vi praeditum, ac suapte natura ad bellandum accommodatum, tanta est animi asperitate, ut victos devoret hostes.

Silentio hic praetereunda non sunt signa, quibus hae bestiolae se se invicem quodammodo alloquuntur, suosque sibi pateficiunt sensus. Id vario efficiunt motu antennarum, quas omnis generis formicae gerunt in fronte: quum enim eas hinc inde

leviter quatunt, comitem sibi obviam eunt admontent, ut dextrorum gradum faciat. Celer antennarum motus ex alto in imum, celerrimoque temporis intervallo iteratus admonitio habetur, ut patefiat trans-euntibus via: sin rapide antennas formicae impellunt ac retrahunt, easque bis erigunt atque cum impetu extemplo depriment, adversarias ad certamen lacescere censemur. Quum denique antennas leviter agunt, salutem comitibus sibi obviam venientibus dicere videntur formicae, neque hoc comitatis praeceptum, si ita loqui fas est, ulla unquam causa negligere.

Hactenus de formicis dicta diuturnis assiduisque debentur studiis Britanni praesertim rerum naturae investigatoris Henrici Burns, qui, quo ulterius in isthaec patefacienda progrederetur arcana, postquam quingenta circiter harum bestiarum millium Londini in Palatio ex crystallo colligit, earum vivendi rationem, variasque vicissitudines summa cum diligentia continuae praepotenti inspexit perspexitque microscopio, adeo ut, quae antea obscura vel ignota essent, plene perfecteque in lucem prodirent.

X.

DE ROLANDO PUERO FABULA

Epicum carmen notissimum, quod *Chanson de Roland* nomen habet, neque unicum est quo praestantissimi ducis gesta apud Gallos enarrantur, neque venustissimum. Aetati enim ferreae carmina, quotquot in populum vulgata sunt, vitam bellatoris reliquam, posthabitum hebdomadis eius supremis in notissima cantiacula relatis, per partes enarrabant, ut, puta, *Carmen Montis Asperi* vel *Carmen Gherardi de Viane*: de pueritia autem eius et de infantia multa plerisque incompta tradebant; ex quibus fabulam hanc iucundissimam.

Carolus Magnus imperator quum novisset Gillie, germanam sororem, Milon equiti ex imperatorio comitatu clam nupsisse, vehementer iratus est. At recens sociati imperatoris iram, quam praeter modum flagrare interdum experti fuerant, pertimescentes, Italianam versus aufugerunt, ubi Milon silvis colendis operam dedit, ut vitam traheret. Tunc natus est ipsis puer, quem baptismō ablutum Rolandum appellant; hic vero adeo herculeis viribus brevi adolevit, ut sese fascis obvolvi nunquam sineret. Mater autem paulo post visum de puero vidit retulitque marito, aiens nati virtute proxime futurum, ut omnes simul in patriam redirent, natumque bellica laude aequales omnes superaturum.

Paucis post annis Carolus Magnus imperator rediens a bello, quod contra infideles in regione egerat in qua soror abdita vivebat, bis septem dies moratus est, publicoque edicto spopondit omnes qui ad aulam visitaturi accessissent, honestis auspiciis receptum iri, paratasque mensas sibi inventuros. Rolandinus itaque — hoc enim nomine puer a parentibus vocabatur — tricenisis forte aequalibus comitatus ad aulam cucurrit, singulisque renuentibus ante sese ingredi, ipse primus transit, splendidasque epulas, quas nunquam domi viderat, intuens, consedit audacter, atque alacriter edere coepit non sine maximo imperatoriis delectamento.

Coenatus vero potusque lautissime, panis atque carnium frustula in pera detrusit. — Num — rogavit Carolus — potus vel epulatus tibi haud satis fuit? — Cui puer: — Adsumo haec, ut parentibus deferam. — Quibus auditis imperator iussit sacculum proferri, quod dapibus omnibus referatum puer tradidit, ipsumque in crastinum invitavit. Interea vero militibus secreto imperavit ut quo puer iter converteret ipsum sequerentur; at Rolandinus vix ex aula egressus tam citissimo cursu evolavit, ut a sequentium oculis brevi aufugeret;

quod quidem aegre audivit imperator, existimans puerum tam sibi carum crastinam non reversurum. Rolandinus domum attingens, quae sibi acciderant parentibus enarravit; at mater nimis sollicita statim facta filium admonuit: — Rex ille magnus, pulcher, nobilis, frater meus est: noli ad eum redire. — Promisit puer se matri paritum: contra sequenti die iterum ad aulam accessit ab omnibus illum manentibus laetissime exceptus.

Quum vero domum reverti instituit, Naymum ducem equo insedentem post illum Carolus misit, qui quum ad mapalia miserrima pervenisset, ubi Rolandi parentes commorabantur, eos statim agnovit duxitque ad imperatorem. Qui primo attonitus, deinde vehementer iratus, postremo tandem misellis pepercit inquiens « Rolandum christiana rei accipitrem futurum ». Quae dum contingunt, Rolandus in triclinium intuens unum anxie quaerebat oculis, an mensa parata esset...

I. ANTONELLI.

ANNALES

Discrimen Germaniam inter ac Polonię de Danzica civitate.

Discrimen inter Germaniam et Polonię de Danzica civitate primum adhuc occupat locum inter universi orbis eventus, inquietosque omnium animos tenet. Germania sese reicere quidem militarem quaestionis solutionem verbis Cancellarii sui asserit, eamque, immutatis licet suis postulatis pro reditu absque conditionibus liberae illius civitatis in Germaniae complexum, pacifice componi posse; at minatur identidem fieri posse ut quaestio ipsa non sine armis solvatur. At non minus firma in protestationibus suis Polonia manet, ad quam et Gallia et Anglia accedunt. Ita res in longum trahuntur; et vetus adagium monet... res longas beneficos serpentes fieri.

Alii bellorum nimbi
Praeter bellum inter Sinenses et Iaponios, qui sese non dominii cupiditate pugnare recens professi sunt, sed ad Ciang-Kai-Shek illius regimen delendum, quod Iaponios omnes, contra leges, historiam atque Iaponiorum vitae necessitates ex Siniis exigere conatur, belli nimbi alii ipsi Orienti imminentes apparuere, in Mandchouriae scilicet atque Mongoliae finibus. Aries enim Mongolicae et Russicae opportunitatem exspectare videntur Kalha flumen transeundi, quod quidem fines inter illos populos constituit.

Ne dicamus de Palaestinensi regione, ubi hinc Arabum, inde Iudeorum caedes perdurant, neque Anglis parcunt, quibus regionis ipsius tutela commissa est.

Novum amicitiae pignus inter Hispaniam et Italiam.

Novum amicitiae pignus Hispaniam inter et Italiam ex adventu in hanc Rempublicam datum est Italici exterorum negotiorum administri, qui loca a Communistis pervastata invisit, omnium rerum instaurationem susceptam admiratus est, Italorumque nomine Toletano cathedrali templo Christi crucifixi a Beato Angelico depicti simulacrum dono dedit, quod iuxta Francigladium, ab ipso hoc duce prius depositum, servabitur. Eximia illa humanitatis species — inquit Italicus administer — quae in pugna Italos Hispanicosque vinxit, et in victoria nunc vincit, fides ac pignus ordinis cumque iustitia pacis.

Fiat!

POPLICOLA.

Quod non dedit, fortuna non eripit.

SENECA.

Multa potentibus desunt multa.

HORATIUS.

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsi.

OVIDIUS.

VARIA

Quantum possint inter dimicandum aut stratagemmata aut voces aliquae praeter spem emissae.¹

Quod summi momenti persaepe sint in praeliis vel levissima accidentia, quae aut emissa voce aliqua, aut conspecta aliqua re oriuntur, multis patet exemplis.

Quintius certe Consul, quum adversus Volscos pugnaret, et cerneret alterum cornu exercitus sui cedere, vehementer vociferatus est, suosque hortari ad dimicandum coepit atque affirmare quod in altero cornu Victoria iam penes suos esset; quo utique clamore et suis animum addidit ad pugnandum, et hostibus terroris tantum incussum, ut victoriam obtinuerit.

Et in exercitu tumultuario minusque recte instituto longe magis adhuc possunt huiusmodi casus, quod iis tamquam vento quadam omnia moveantur. Cuius rei memorabile exemplum est illud, quod aetate nostra apud Perusinos accidit. Nam quum ea civitas civilibus discordiis laboraret, totaque in duas factiones, Oddorum et Balianum, divisa esset, quorum hi potentiores facti illos in exilium expulerant, Oddi exsules amicorum opera exercitum collegerunt, et nocte quadam, Perusiam ingressi, clanculum ad occupandum forum contendebant. Sed quia singulae plateae catenis transversis praemunitae in iis equitibus transitum impediunt, praecedebat eos quidam cum malleo ferreo, qui seras catenarum effringebat; iamque perfractae erant catenae omnes praeter eam solam, quae ingressus in forum claudebat; quam quum idem frangere niteretur magno conatu, et quo minus satis attollere mallum posset impediretur ab iis qui sequebantur a tergo et iam ad arma conclamaverant:

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

« Retrocedite » inquit ad eos, quo liberius videlicet effringere catenam posset. Sed haec vox veluti echo a primis ad posteriores, atque ab his ad alios emissa, sensim usque ad ultimos pervenit, causa que fuit, ut ultimi, qui non intelligebant qua de causa emissa esset, effugerent magno cum impetu; quos reliqui sensim sequuti, institutum deseruerunt et causa ipsi extiterunt interitus sui, ex tam levi fortuito casu commoti.

Ordinum igitur conservandorum ratio haberi debet in praelio, non tantum ut dimicare liceat, sed quod, iis perturbatis, quilibet casus exercitum in fugam coniicere possit. Atque iisdem hisce de causis inutilis bello esse solet multitudo servorum mulierumque; nam ex quocumque vel levissimo motu in fugam coniicitur et ceteris metum incutere solet. Itaque vel imprimis hoc curare debet prudens imperator ne tales aliquae voces a se vel suis in alium finem emissae, male intellectae motus alicuius causa fiant...

Ex iis autem quae inter dimicandum conspecta terrorem aut audaciam alterutri exercituum afferre solent et ad victoriam comparandam aut amittendam magnum habere momentum, sunt illa, quae prudentia quadam imperatorum excogitantur et vel insidiis collocantur, vel alias opportuno aliquo loco ponuntur ad hostem terrendum. Cuiusmodi illud fuit quod Sulpicius adversus Gallos est machinatus. Iussit enim milis detrahi strata, binisque tantum centunculis relictis, iisdem agasones imposuit armis captivorum, aegrorumque ornatos. His mille effectis centum admiscuit equites, et noctu super castra in montem evadere ac sylvis se occultare iussit, neque inde moveri priusquam ab se acciperent signum. Ubi diluxit, instructo vani terroris apparatus, exercitum deduxit ad pugnam et quem acerrime utrinque pugnaretur, iis qui in monte erant signum, quod convenerat, dedit. Illi autem non novo sublato clamore